

Eutitius. Placet valde quod dicis, sed quæso te, qualiter communi vita, id est secundum carnem, vivebant, ut ex eorum conversatione aliquid in usum ^{a)} nostræ conversationis trahere possimus?

Theophilus. Hi in carne ^{b)} ambulantes non secundum carnem vivebant ¹⁾: secundum enim carnem vivitur ^{c)}, quando carnis desideria perpetrantur. Sed quia simpliciter requisisti ^{d)}, simpliciter tibi respondendum ^{e)} est. Queris enim de cibo et potu eorum et de his quæ ad corpus pertinent.

Eutitius. Ita est.

Theophilus. Lucas dicit ²⁾: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una*; predia ³⁾ et possessiones ^{f)} vendebant et afferebant precia ante pedes apostolorum et dividebatur ^{g)} singulis, prout cuique opus erat. Et in decretis pontificum ⁴⁾ legitur ^{h)}: *Quia apostoli Iudeam erant relicturi et in gentibus dispergendi, idcirco predia in Iudea ⁱ⁾ minime sunt adepti, sed precia tantummodo ad fovendos egentes. Creaturam autem aliquam, quæ usibus hominum ^{k)} concessa est ^{l)}, non repudiabant ^{m)}, ne si ex parte spernerent, totam dampnasse ⁿ⁾ viderentur ⁵⁾.*

Eutitius. Non ergo eis erant predia et possessiones ^{o)}, quæ ab improbis ^{oo)} quibusque diripi possent.

Theophilus. Minime.

Eutitius. Quid ergo ex eorum auctoritate contra eos ^{p)} agendum est, qui res ecclesiæ et peierant et usurpant?

Theophilus. Magnum quoddam labarum ^{q)} ex eorum auctoritate contra hos ^{r)} erigere possumus. Certe Ananias conscia uxore sua Saphyra ^{s)} agrum vendidit ⁶⁾ et facta de suis fraude partem quandam ^{t)} ad pedes apostolorum posuit. Sed Petro per Spiritum sanctum cuncta cognoscente

a) Kürzungsstrich über u undeutlich A; usu C. b) carnem B. c) vivebant B. d) requisisti C. e) respondum B. f) possessiones BC; es über der Zeile nachgetragen A; poss. et predia B. g) dividibatur (a über unterpunktierstem e) A. h) ligitur B. i) Iudeam AC. k) hominu B. l) sunt B. m) repudiabant B. n) dampnasse C. o) possessiones BC; korr. aus possessiones durch Nachtrag von es, über ss ein radiertes s A. oo) improbis BC. p) davor r (?) radiert A. q) von jüngerer Hand unterstrichen A; labarum B. r) los B. s) Saphira B, Sapphira C. t) aus quendam korr. A.

¹⁾ 2. Cor. 10, 3 (D).

²⁾ Act. 4, 32; 2, 45; 4, 34—35 (D).

³⁾ predia et poss. aus Ps.-Isidor, vgl. Anm. 4.

⁴⁾ Decretal. Pseudoisid., Epist. Melchiad. c. 9, ed. Hinschius S. 247 (D). Vgl. ebd. Anm. 18.

⁵⁾ Vgl. oben S. 48.

⁶⁾ Act. 5, 1—5 (D).